



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XI. Acta inter Caietanum Cardinalem, & Fredericum Septemuirum.  
Technae Lutheri cum Septemuiro adhibitae: & quae inde consecuta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1518.

\* Lutherus  
in literis &  
narrationi-  
bus citatis.

lum hæreticum, & nondum in ea conditione fortunæ positum, vt posset Wittembergâ Augustam equum conducere; ibique emendicato Religiosis Carmelitæ hospitio exceptum, victuque nutritum; quod si secus accidisset, maiore ratione fuisset Caietanus incusatus, dignitatis suæ minùs fortiter sustentatæ. Quin etiam potuit ad eò sibi imperare, vt vbi sensit se tam audacter ac solenniter à Luthero repudiatum, tamquam iudicem suspectæ iustitiæ, eundemque nullâ petirà abeundi facultate à se contemptim digressum; non tamen effecerit id quod in simili negotio quicumque iudex pedaneus effecisset, videlicet reum damnare. Sed est in more positum apud homines, adulari fortunæ, & alienam imprudentiam calumniari, in cunctis malis publicis illam ceu fontem absoluen- do, hanc vti fontem damnando.

## CAPVT XI.

*Acta inter Caietanum Cardinalem, & Fredericum Septem-  
uirum. Technæ Lutheri cum Septemuiro adhibita:  
& quæ inde consecuta.*

**D**elusâ Legati spe, quam conceperat sibi conciliandi vel men- tem Lutheri doctrinâ, vel obsequium auctoritate, vel ani- mum comitate, vel submissionem terrore, non idcirco ab ea fiducia se deduxit, quam summi viri in suorum bonorum præstantia collocant; sed illum per se deicere posse putauit ab existimatione Septemuiro, solo impetu suæ præpotentis testificationis. Itaque ad Fredericum dedit literas, quibus ipsum de re summatim docebat, rationibus prætermisissis, quarum vim intelligebat ab eo Principe haud percipi non posse; sed certiorum suo testimonio eundem faciebat, Martinum hæresi pollutum esse, suisque obiectis responsa relatu indigna reddidisse: quæ verba spectabant ad ea quæ Lutherus iactauerat de erroribus, in quos Romani Pontifices inciderant in Constitutionibus contra se adductis pro Indulgentiis. Quapropter rogare Saxonem, vt conscientiæ decorique suo consuleret, siue reo Romam dimisso, siue à sua dirone depulso, suâque tutelâ exarmato; eidem se denuntiare, pestilentem eam tabem non posse ita persistere, & causam tunc à se dilapsam, mox Romæ agitan- dam, ac iudicio decidendam.

Sed quemadmodum propinquo igniculo acrius incalescimus; quàm toto sole longinquo; ita maiorem intulere vim Frederico præsentia Stupitij ac Spalatini verba ad prosequendam Lutheri de- fensionem,

Epistolæ  
omnes, alia-  
que scripta,  
quæ hic suc-  
cessiue ci-  
tantur hanc  
rem concer-  
nentia, im-  
pressa sunt  
primo tomo  
Operum  
Lutheri.



ensionem, quàm Cardinalis absentis scripta ad eleuandam ipsius fidem. Erat Stupitius ex nobili familia Frederico subiecta, magno ingenio, haud ita magnâ literaturâ; sed tamen tantâ, quæ apud omnino illiteratum magnam vim haberet. Dignitas Vicarij Generalis auctoritatem addebat: eiusque causæ agnoscebatur ab eo Lutherus quidem vt minister, ipse verò vt auctor præcipuus. Spalatinus, qui Saxoni à Secretis erat, & primarius sacrorum Curator (quod magno erat argumento, fidelem simul ac pium à suo Principe habitum) in eo negotio rem suam agebat, quamuis minùs cognitam, ideoque potentiorem: nimirum non tam Lutherum quàm suum de illo prolatum iudicium tuebatur. Vti non rarò contingit, primum beneficium quâ studio quâ temerè conferri, cetera verò ad iam collati prudentiam sustinendam.

1518.  
Cocleus de  
actis Luthe-  
ri an. 1517.  
& 1518.

3 Impetrarunt hi, vt Septemuir Legati literas ad Lutherum transmitteret. Nec ille sibi defuit tam difficili tempore. Rescripsit ad Septemuirum, adhibitis cunctis artibus, quas docet homines vera Rhetorica, hoc est ingenita, quâ pollebat, & quâ negotia promouentur; non illa quæ arte comparatur, cuius expertus erat, & quâ plausus excitatur in scholis. Hinc Frederici ingenium mirificè extollere, ipsumque sibi Iudicem deposcere: Populares quasdam rationes adducere, quæ vt doctioribus contemptui essent, ita rudioribus inaudita responsione vim faciunt: Recensere colloquia cum Caietano, sed in rem suam, & quâdam moderatione, quæ fidem conciliaret; perinde ac si mentiri voluisset, non esset tam ieiunè mentitus: Præferre studium ardentius erga Dei causam, quàm erga propriam existimationem; atque capropter non æquè difficilem se ostendit ad vtramque propositionem reuocandam, cum ex altera, nempe de thesauro Ecclesiæ, leuis momenti conclusiones deduci posse viderentur; quâ, inquit, propositione retractatâ non idcirco Indulgentiarum natura peruerteretur. Circa alteram propositionem, quæ asserit credendum esse, Fidei firmitate gratiam recipi à suscipiente Sacramentum, se iactitat inflexibilem, quod conscientia refugiat à Sacris Literis abnegandis. Simulat præterea, retineri se à reuerentia erga Cardinalem, quem hic, vt diximus, *optimum & humanissimum* appellat, ne amplius sui causâ armadenudet, ab iis ipsis desumpta, quæ contra se Cardinalis ad Septemuirum scribit; atque optaret, inquit, scriptum illud fuisse ab aliquo Siluestro Prierate. Sed interea per reticentiam congerit in eum quæcumque in animo habebat. Atque vbi Caietanus memorat, eos errores à Martino fuisse appositos in suis Thesis haud af-



1518. firmandi & solùm disceptandi gratiâ, sed ex aliis eius scriptis palam fieri, eos ab illo pro veris habitos; ibi submissâ voce triumphum canit, & argumentatur: *Ego, inquit, Romam non aliarum scriptiorum, sed thesaurum causâ accersitus fui; adeoq; si nihil per eas asserui, evanescit delicti titulus, quo reus agor.* In ea porrò ratiocinatione fastuosam quamdam comitatem venditat; instar lanistæ, qui intendit aciem pectori imperiti Dynastæ, ac deinde ictui parcat. Quasi verò modus ipse, quo Thefes Lutherus confecerat, satis non indicaret, à se veras credi, curariq; ut veræ ab aliis crederentur; quamquam, conscius easdem Ecclesiæ Romanæ dogmatis aduerfari, abstinerit ex formidine tunc in publico disertè eas confirmare; & perinde ac si hæc præsumptio fulciri non posset in iudicio ex aliis ipsius commentariis.

Accusat deinde acerbissimè huiuscemodi vim tyrannicam, quâ cogitur quispiam ad palinodiam, neque ratione compellente, neque disputatione concessâ; sed ex potentioris libidine, seipsam anteponeute cuiuscumvis probationis ponderi, & Sacrarum Litterarum auctoritati.

Hæc redargutio semper fuerat Lutheri Achilles; sed Achilles ille supposititiuus, de quo canitur, Achillis specie non robore instructum diu certasse. Et idcirco à Cardinali per suas ad Fredericum litteras detrahenda paucis fuisse ea larua: quod sanè affatim præstitisset, indicatâ illi Principi fallaciâ, eum percontatus: An Iudices à Septemuiro constituti, qui tandem supremi non erant, eam legem vel ex debito, vel ex usu accepissent, ne quem damnarent reum, nisi prius suæ noxæ verbis eum conuicissent, & cum eo tamdiu disceptassent, donec ipse fateretur, nihil sibi quod opponeret superesse?

Ad Lutheri literas redeamus. Implorabat ille Ducis clementiam, ne se mitteret suorum hostium victimam ac ludibrium. Concludebat postremò, se libenter inde digressurum, ne quid suboriretur, quod quietem Septemuiro, & cum Romano Pontifice concordiam turbaret; ibique eos ciebat studij, benevolentie, & commiserationis affectus, ut satis introspicatur in eo fuisse obtentum abeundi desiderium, quod ipsum reputaret firmissimum obicem ne abiret.

His erant eius literæ subfarcinatæ. Simul etiam commendatiam epistolam ad Saxonem obtinuit ab Academia Wittembergenfi: sed eius commendatio fuit admodum tepida, & cum diserta conditione, quâ tepor ille in glaciem demigrabat; videlicet: Modò Lutheri patrociniuum non disiungeretur à Romanæ Ecclesiæ magi-



magisterio, aut Pontificis voluntate; uti in ipso Septemuiro, quamuis se non momentibus, sponte statutum esse sciebant. Equidem ex ea quam accepi rei tunc agitatae notitia ita censuerim: Si Romanus Pontifex ex tot Theologorum sententia, suorumque Senatorum suffragio id temporis, uti postea factum est, solemniter anathemate perculisset non modò geminos illos Lutheri errores subliores, à Caietano impugnatos, & quos Leo primùm damnauerat, sed etiam tot impie & insanè ab eodem scriptis editos, enumeratosque à Diplomate Leonis postmodum promulgato; Septemuir nondum ad Lutheri defensionem tam vehementer affectus erat, ut eius causam sibi suscipiendam putasset. Sed fortasse prudenter actum est: nam si non optimum, certè id peractum est, quod homo prudens optimum cèssisset pro rei notitia quæ tunc habebatur.

Itaque Saxo, ratus Caietanum, utpote suorum sodalium studiosum, Lutheri depressionem affectare, usum pro ratione potestatis vi, subacerbè rescripsit Legato per epistolam, uti credibile est, à Spalatino, qui à Secretis erat, confectam. Se quidem aiebat promissa præstitisse, misso ad illum Luthero: ex præcedentibus Cardinalis literis spem longè diuersam concepissem de iis quæ ibi Lutherus fuisset experturus; nec in animum umquam induxissem, benignæ missionis vice, nisiurum ipsum fuisse, antequam rationibus eum conuinceret, solo imperio ad palinodiam cogere; nunc verò denuntiare causæ curam à se dimissam, & Romæ damnationem minitari. Quamplures pios ac doctos viros, tam ex sua ditione quàm ex aliis Academiis testari, doctrinam Lutheri probam esse, quamuis eiusdem eruditio eorum commodo, qui pro re sua illi obstituerant, nequaquam esset accommodata. Idcirco suam Academiam tam erudito viro priuandam non esse, donec vel rationibus, vel iudicio earum Academiarum, quibus suam causam permittebat Lutherus, in sua responsione Cardinali à Saxone communicata, compertum foret ipsum iure esse puniendum.

## CAPVT XII

*Prouocatio Lutheri ad Concilium. Pontificis Romani declaratio de Indulgentiis. Maximiliani Cesaris obitus.*

Cardinalis literæ ad Septemuirum incussere Luthero metum suæ damnationis Romæ breuè ferendæ; statuitque eam præuerrere per prouocationem ab imminente sententia, ne illà post sententiam protractâ, videretur solùm ex eo denegasse supream